

# DISSERTATIO

## DE NATURA ANIMÆ, Et ejus post mortem statu ex sententia Veterum Hebræorum.

### ARTICULUS I.

#### Inter corpus, animam & Spiritum discretio.

**A**nima nomen in Veterum scriptis ambiguum est maxime, interdum enim sonat rem aliquam simplicem, spiritalem, incorruptibilem, immortalem, quæ cogitat in nobis. Aliquibus verò est res quædam, subtili, tenuique, aereâ, lucidâ materiâ constans, qua veluti corpore vestitur Spiritus, cogitandi & ratiocinandi in nobis fons & origo. Anima, posteriori illo sensu accepta, ex Veterum plurimorum sententiâ voluptatum pellestus trahitur, odoribus, dulci instrumentorum musicorum suavitate mulcetur, circa sepulchra divagans spectandam se præbet, victimarum cruore paciscitur, ac tandem ex alio in alium generatione propagatur. Hæc non apud Philosophos Paganosque Poetas tantum, sed & apud veteres Ecclesiæ Patres legas, sicut & Libris apocryphis sub ipsa Ecclesiæ crepundia probatis. Tria ab illis in homine distincta: corpus, crassum nempe illud, materiâ compactum, & obnoxium corruptioni; anima, aerea, tenuis, ad luminis naturam dotemque accedens; & spiritus vel mens, spiritalis illa naturæ vis, in anima veluti in vaginâ condita.

Resoluto corporis cum anima per obitum nexu, illa vel supra Lunam cum spiritu evolat, vel si exactæ vitæ scelera repescant, ad inferna suppliciorum loca deturbatur. Proborum igitur animas, cum supernas tenuerint sedes, mors altera manet; fracto enim animæ claustro, spiritus cum Sole jungitur; anima verò Elysiis illis in sedibus sub Luna subsistens, nihil sibi facit ad voluptatem reliqui, semper tamen affinem illam retinens ad cognatum corpus formam, ad pristina in terra studia propensionem, ad arma scilicet, equos tractandos, jura reddenda &c.

Parent hæc maxime in scriptis Homeri, summi illius Theologiæ Græcorum Coryphæi; agens enim ille (a) de Patrocli anima, spectandam se per visum Achilli præbente, similem per omnia formam ac He-

ros ille, cui olim infederat, retulisse dicit. Et Odyss. L. v. 600. Ulysses ad Inferos vidisse se dicit *Herculis Idolum*; (Animam scilicet) ipse verò, addit, *apud immortales Deos oblectatur in convivio* (spiritus videlicet). Et Dido apud Virgilium *Æneid. 4.* de anima sua post obitum canit.

*Et nunc magna mei sub terras ibit imago.*

Quamquam hæc satis per se abhorrent à doctrina fidei in Scripturis tradita; ipsa tamen Scripturarum phrasî nescio quid non dissimile translucet. Animam à Spiritu live mente utcumque distingui, fat constat, cum anima ipsa, in Scripturis nuncupata *Nephech* sive *Neschmanch* vel etiam *Ruab*, homini æquè ac brutis tribuitur. Deus aquis præcepit, ut producerent reptilem, *anima viventis & volatilis super terram.* Et paulò infra (b) suffecisse dicitur Deus hominibus, & cunctis animantibus terræ, & omnibus, in quibus est anima vivens, herbas ad vescendum. Et Genes. 9. 10. follemni se foedere obstringit Deus cum hominibus, & omni anima vivente, nempe cum animantibus omnibus: ita pariter, immixtis diluvii aquis, perdidit cuncta, in quibus spiraculum vitæ est (c). Et adhuc: *Ego interficiam omnem carnem, in qua spiritus vivit est.* (Hebraicè *Ruab*). Ac tandem: *Provideat Dominus Deus spirituum omnium carnis* (d). Vide pariter Eccl. 3. 19. 20. 21. & Num. 17. 26. & 16. 22.

Sed Spiritus [ *Ruab* ] sine addito, vel mens ( *Einab* ), vel duo illa simul, spiritus intelligentia (e), uni tantum homini tribuuntur. Porrò hæc loquendi phrasæ in eam fortè persuasionem veteres Hebræos adduxerunt, animam illam, hominibus eandem ac brutis communem, quam in sanguine residere tradit Scriptura Levit. 17. 11. 14. *Anima carnis in sanguine est; & anima omnis carnis in sanguine est,* materiâ quædam constare, & alterius planè esse à mente, nunquam brutis in Scriptura tributâ, naturæ. Luculenter sanè animam sens-

filem & rationalem distinguens Philo (f), ait vitalem illam animam ipsam esse, qua vivimus; rationalem verò, qua ratiocinandi facultatè utimur: illam habere nos cum brutis eorum communem, hanc peculiarè. Deus, ait, rationalem illam animam non creavit quidem, sed subjunctam habet nihilominus; quippe qui omnis rationis ipse principium sit & origo. Deteriorem illam animam, brutis etiam communem, nihil esse aliud scias, quàm sanguinem; rationalis verò particula est & portio Divinæ mentis; spiritalis quædam substantia, & spiritus pariter, alterius planè ab aere moto & agitato naturæ, exemplar tandem & imago divinæ Virtutis. Hæc Philo.

Insinuat alibi, animam materiâ quadam compingi, propositâ enim sibi quæstione; cur anima videri oculis non possit (g); reponit, non esse inde rectâ consecutione inferendum, animam nequaquam existere; esse enim per universas mundi partes diffusas animas, in aere, in igne, in terra; ætra etiam suis animabus cieri; Angelos verò, animas, & Dæmones nomine tantum differre (h). Si verò exprimit alibi quasi Angelos haberet incorporeos (i), illud tantum insinuat, non corporis quædam materialis claustro teneri illos, sicut hominum animas. Legit autem, quemadmodum Septuaginta; *Videntes Angeli Dei fias hominum, quod essent pulchre, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Hæc autem, ad allegoriam licet detorta explicet de corporis cum anima conjunctione, ponit tamen ut certum, animas sive Angelos per aera circumfusas, naturalis quædam in corpora propensione ita ferri, ut in unam tandem cum illis coalescant; quæ sanè habitudo non nisi in substantia quadam materiali residet. Cum tamen nihil satis expressum de corporea animarum natura habeat Philo, iudicium de ejus sententiâ suspendo.

Reipsa tamen Josephus (l), & Author Veteris Libri Henoch (l) autamarunt, Angelos, ac præinde & animas, quas ejusdem naturæ constituunt, à corpore secretos non esse. Non semel animam à Spiritu distinguit Author Libri Henoch: *Spiritus & anime hominum suspirant;* & paulò infra: *Spiritus animarum hominum morte jam sanctorum, ad portas usque Cæli spiritalia eorum pertigerunt;* & cap. 9. *Gigantes, à spiritu & carnis copula procreati, evant Spiritus nequam [ Dæmones ] Spiritu & corpore carnis suæ desistente.* Agnoscat postremis hæc verbis sententiam in Rabbinarum quorundam scriptis (m), & in S. Chrysolomo pariter legendam (n), animas scilicet impiorum interdum in Dæmones transmutari; quæ sanè cum iis congruunt, quæ tradit Josephus de Bello 1. 7. c. 25. & post ipsum S. Justinus Martyr Apolog. 2. Dæmonum in hominum corpora infestationes ab ipsis quandoque effici impiorum animabus à corpore separatis.

Tribuunt etiam Rabbini animabus post relidum corporis contubernium subtile aliud corpus; quod *Vas animæ* appellant.

Habent enim persuasum, impiorum animas post obitum vestis cujusdam genere circumfundi, quibus indotè tormenta perpetuantur; sicut vicissim justorum animas splendido quodam paludamento & fulgenti corpore vestiri; quo pariter felicitatem & fulgorem beatitudinis omnem capere assuecant (o). Vestigia quædam ejus opinionis deprehendimus in Apostolis (p). S. Thomas nunquam se fidem addiditum Apostolis, qui spectasse se corpus Jesu Christi affirmabant, professus est, nisi suis manibus fixuram clavorum & vulnerum in ejus pedibus, manibus, ac latere explorasset; quasi scilicet ambigens, num imago corporis Jesu Christi vel ejus anima, qua spiritus tanquam veste induebatur, fucum sociis fecisset.

Animam à spiritu distinguere visus est Daniel (q), cum ad laudes Domini invitet spiritus item & animas: *Benedicite, Spiritus & anime justorum Domino;* neque enim ille spirituum nomine Angelos, & Beatos designare potest; quos antea ad eandem studia invitaverat; sicut etiam *Virtutes Colorum & Spiritus Dei,* nempe ventos validos. Confer Dan. 3. 58. 61. 65. 86.

Author Libri de Assumptione Moysis (r) narrat, Josue in ipso monte, ubi Moyses diem clauserat, versanti obvius factos geminos Moyses, quorum alter inter medios Angelos superas Cæli sedes petebat, alter in terra subsistens conditus est: prior Moyses erat Viri anima, alter crassum ejus corpus. Saducæi Spiritus omnes & Angelos negantes (s); admittebant reipsa tamen rationalem quandam animam, in ejus tantum immortalitatem iniquiores; residere illi quidem in homine fatebantur recogitans aliquid, hoc ipsum tamen immortale esse pariter, & Spiritum negabant.

### ARTICULUS II.

#### Anima immortalitas.

Immortalitatis animæ dogma constanti fandi religione tenuerunt non Hebræi tantum, sed Chaldæi pariter, Indi, & Egyptii, antequam Græci quicquam de illo nosset. Primos ejus Autores ægyptios asserit Herodotus 1. 2. c. 123. addens quosdam se nosse apud Græcos, qui ejus constitutioni primitus honorem alii quidem ferius, recentius alii vindicarent; nolle se tamen eorum vel nomina indicare, ut illorum honori utcumque consulat. Quibus verbis tacite fortè designantur Thales Milesius (t), & Pherecides (u); quos Græci primos hujus dogmatis Autores arbitrantur; constat tamen receptam ab aliis doctrinam illos Græcis tradidisse.

Pausanias (x) ejus originem refert ad Cædæos, & Indiarum Magos, ex quibus derivatum dicit in Græcos, & in Platonem potissimum. Sed vera ejus origo non nisi apud Hebræos quaerenda, in Moyse scilicet cæterisque Scripturæ Libris; in Patriarchis ac in eorum familiâ, à Deo electâ, non traditro tantum constans & cer-

O Vide Rab. Abd. Saphurn. in Or. Hæschem. pag. 91. p Jo. 10. 25. 26. 27.

q Dan. 2. 86.

r Apud Clem. Alexand. 1. 6. Strom. Evod. ad August. Epist. 259. inter Augustin.

s Act. 23. 8.

t Cherilus apud Laert. 1. 1. pag. 16. u Tull. Tuscul. quas. 1. 1. c. 16. x Missen. 6. 4.

f Lib. Quæd. detor. potior. insid. pag. 170.

g De Gigant. pag. 285.

h Ibid. pag. 286. i Item de cons. ling. pag. 345. &c.

b Gen. 1. 20.

c Gen. 7. 22. Vide & Deut. 20. 16. Josue. 10. 40. & Num. 17. 26. & 16. 22.

e Job 20. 3. & 28. 8.

k Antiquit. 1. 1. c. 4. l Cap. 4.

m Vide Bar. 2. 1. 2. pag. 35. n Homil. 29. in Matth. pag. 282.



certa dogmatis de immortalitate animæ occurrit, sed & hujus argumenta, ac veluti fundamenta rei, cui veluti tota Religiois moles incumbit. Moyses vetustissimus omnium, cujus scripta supersint, narrat, Deum post compactum hominis corpus, inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ (y). Cùm verò de cæteris animantibus agit, nihil habet simile.

Spiraculum hoc vitæ aliud sanè habendum est, ac sensibile aliquid & materiale; constat enim Deum purum esse spiritum, nec Hebræos unquam sive animâ Deum ipsum constare, sive corpore compactum, tenuisse. Est ergo spiritale aliquid, & mens ipsa, sive anima rationalis, tunc in hominem infusa. Hunc eundem spiritum retrahit ab homine, cùm viventem perimit [z]; hoc pariter intelligendi facultate instruimur (a); hoc vita donatur (b); Lampas est seu lucerna Domini, spiraculum hominis, juxta Proverb. 20. 27. Inde verò Platonici (c), & Veterum alii deduxisse, censendi sunt, animam hominis effluviū esse quoddam & Dei ipsius portionem, ex ejus ore spiraculum. Divinæ particulam aura [d]. Cùm data hominibus anima tanquam portio sit divinitatis, ait Cicero, Tusc. qq. l. 5. num. 38. nulli, præterquam Deo, valet comparari; Ratio nihil est aliud, ait Seneca epist. 56. quam in corpus humanum pars divini Spiritus mensa.

Cùm Deus creandi Adam consilium ageret, Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram (e). Porro nulla est corporis cum Deo similitudo, sed in anima tantum & ratione. Cùm pariter Deus ipse immittere diluvii aquas statueret (f), Non permanebit, ait, Spiritus meus in homine, quia caro est. Quis autem Spiritus iste, morte hominis à Deo redudus [g], nisi Spiritus ille divinus, qui juxta illud Psalmi 77. 39. Spiritus est vādens & non rediens? De hoc pariter Spiritu dictum est Eccl. 12. 7. Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Fatemur nos quidem, eas interdum loquendi phrasas occurrere in Scriptura, quæ brutorum & hominum naturam æquare videntur; quasi scilicet ambo hæc eodem spiritu, & Divini oris spiraculo animarentur. Communia hæc vocabula Anima, Spiritus, Spiraculum, datas utriusque huic creaturarum generi communes animas designant; hominum & brutorum interitus iisdem non raro vocibus exprimitur: Ausert Deus spiritum ex omni carne (h); cibum & vitam omnibus æquè animantibus suppeditat; si faciem avertat, omnia turbantur; Auseres spiritum eorum, & deficiunt. Deus diluvii aquis immixtis interfecit omnem carnem, in qua Spiritus vitæ est (i); terris & aquis injungit, ut producant animam viventem, seu animantia vitæ & animâ donata (k); & post diluvium foedus inicit cum omni anima vivente (l); ac tandem animam esse in sanguine, habetur Levit. 17. 17. Quibus omnibus loquendi phrasibus insinuari videtur ambiguas esse maximè phrasas illas Animæ

Spiritus Divini, spiraculum: nec satis aptè immortalitatem animæ probare, quippè quæ mortales brutorum animas equè designent.

Nihil tamen est quod faceat nobis negotii vocum ista affinitas, quemadmodum nihil facit, dum familiari sermone solemus interdum iisdem vocibus exprimere rationalis animæ operationes, quibus & brutorum motus ac sensilis animæ functiones. Quis enim rectè inferat ex hac vocum cogatione cognatas pariter esse utriusque generis animas? Dum occasio reperit, satis exactè definitimus, quid nobis, quid brutis conveniat. Eadem pariter cautio in Scriptura. Si populares quandoque voces usurpans, homines à brutis distinguere non satis videtur, cùm tamen res ipsa poscit, quid homines inter & bruta distet, satis luculenter exponit. Afferit peculiaria quedam de homine, quæ nunquam de belluis affirmaret; & si quando paria de utrisque loquatur, sermo tunc est tantum de vita corporis, de animâ sentiendi facultate instructâ, quam brutis equè ac hominibus vindicant omnes. Quare in brutis anima, spiritus, spiraculum à Deo datum redutumque ad arbitrium, nihil est aliud, quam vita corporis, in sanguine potissimum residens. In homine verò vocibus illis interdum designatur anima sensilis, a quæ & rationalis; non raro etiam rationalis tantum &c. quod ex sermonis contextu satis discernitur.

Legimus e.g. Abrahamum senio confectum obiisse, & congregatum esse ad populum suum (m). Ad quem, rogo, populum? an ad Thare, Nachor, & Heber? Nunquam profectò ille. In Chaldæa & Mesopotamia viri illi sepultura mandati, corpore ab illo discreti manserunt; cum in spelunca, pretio ab ipso comparatâ, in Chanaanide Abrahami cadaver jacuisse conflet. Anima ergo viri Sancti patrum suorum animas convenit, unâ pariter cum illis resurrectionem in loco destinato opperians.

Jacob, accepto de nece filii sui Joseph nuncio, ejulans clamabat: Descendam ad filium meum in infernum (n), in sepulchrum scilicet. Nunquam sanè duo simul cadavera, suum nempe & filii, jungi posse norat mœstissimus pater, ratus non aliud concessum carissimo filio tumulum, quam carnivoræ cuspudam belluæ ventrem; sed alterius vitæ cum illo consuetudinem suspirabat.

Cùm Deus ad Moysen locutus edicit: Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel (o); & cum pariter ad Moysen (p): Conscendens (montem Nebo) jungeres populis tuis hæc sanè ad literam nunquam exponerentur; constat enim Hor ubi Aaron, & Nebo ubi Moyses diem clausurunt, montes esse, illum Arabiæ Petrææ, hunc Moabitidis, distitos planè à Mesopotamiâ, Chaldæâ & Chanaanide, ubi avita illa patrum Hebræorum sepulchra. His ergo phrasibus apertissime instruimur, alterius vitæ, in qua simul omnes convenirent, spem inditam Patriarchis; qua pariter lactatus David

Genes. 2. 7.

Job 34. 14.

Job 32. 8.

Job 33. 4.

Plato in Phædr. pag. 78. 86. 81. 95.

in Timæo pag. 99.

Horat. l. 2. satyr. 2.

Genes. 2. 26.

Genes. 6. 3.

Psal. 103. 29.

Psal. 103. 29.

Genes. 17. 1.

Genes. 1. 20.

Genes. 1. 21.

Genes. 9. 10.

Genes. 25. 8.

Genes. 37. 12.

Num. 20. 24.

Deut. 32. 30.

2. Reg. 12. 23.

Exod. 3. 6.

Matt. 22. 32.

Num. 16. 30. 33.

Prov. 1. 12.

De glitiamus eum sicut infernus viventem. Et Psal. 54. 16. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes. Et Psal. 9. 18. Convertantur peccatores in infernum.

Num. 23. 10.

Genes. 15. 1.

2. Reg. 17. 20. 23.

2. Reg. 4. 34. 35. &c.

4. Reg. 13. 20. 21.

1. Reg. 2. 6.

Ezechiel 37. 1. Osee 13. 14.

vid, dolorem suum in obitu filii ex Bethsabee nati solabatur (q): Ego vadam ad eum, ille non revertetur ad me.

Deus è rubo ardenti Moysen affatus, dixit (r): Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Non est ille profectò Deus mortuorum, juxta ac Jesus Christus observat (s); vivebant ergo, sed alterâ planè vitâ, Patriarchæ. Core, Dathan, & Abiron hinc terra aborti, Descenderunt vivi in infernum (t); quibus verbis tacitè insinuat, quantum sapimus, superstitis adhuc raptos illos in loca suppliciorum, datâ proportionem ut olim Henoc, & Elias in amoenissimum locum, superstitis pariter, translati sunt. Satis autem his omnibus insinuat, receptam fuisse apud Hebræos tum de altera vitâ, cùm de animarum immortalitate persuasionem. Confer loca parallela sæpè in Scriptura (u).

Jacob ad obitum decumbens, morbi tedium solabatur spe salutis & redemptionis: Salutare tuum expectabo Domine: aliam planè salutem in aternitate sperabat. Cur Balaam tantis votis optabat. Moriatur anima mea morte iustorum (Israelitarum nempe), & sicut novissima mea horum similia (x)? cur insuper post longa expectationum tempora visurum tandem se Liberatorem Israel, quem veluti à longè venientem prospicit? cur, inquam, hæc omnia, nisi tandiu in altera vita superstitem se futurum expectat, quandiu spei illius tempora implentur. Quid tandem factum est de promissionibus illis, quibus se Deus obstrinxit Abrahamo: Ego ero merces tua magna nimis (y)? quid, inquam, contulit Deus magnificis hæc promissionibus satis dignum, & tanto Remuneratore par in hoc mundo? Sperandum ergo supererat animæ ejus Patriarchæ premium illud, sanè post obitum in altera vita.

Aliud argumentum, intentum convincens, ex eo deducitur, quod Hebræi mortuos ad vitam revocandos crederent; quod per visum mortalibus appareret interdum; quod de futuris eventibus consulerentur mortui. De mortuis ad vitam revocatis [z], ab Elia & ab Eliseo (a), cujus etiam potestremi Prophetæ cadaver defuncto alterius corpori vitæ fuisse & saluti (b), legas in sacra Scriptura. Anna mater Samuelis, Dei esse virtutis dicit deducere ad Inferos & reducere (c). De reditu è captivitate Babylonica & Hebræicâ liberatione sub resurrectionis nomine & emblemate agunt Prophetæ non infrequenter (d). Porro de resurrectione dogma ubique apud Judæos, exceptis Macchabæorum atate Saducæis, conitat inter omnes. Sicut & Jesu Christi resurrectio Judæorum quam plurimis probabatur; ac tandem Lazarus sub ipsis, ferè dicam, omnium Israelitarum oculis rediit ad vitam; sicut & alios ante illum nonnullos Jesus pariter suscitaverat. Frustrâ autem expectaretur resurrectio mortuorum, si unus esset animæ & corporis interitus.

Mortui per visum spectati non infrequenter in Veteri Testamento leguntur; quorum Dissert. Calmet Tom. II.

Incultissimum est exemplum Samuel à Pythonissa excitatus (d); Jeremias pariter Judæ Macchabæo spectandum se per visum obtulit (f). Gradientem super undas maris nocte intempestâ Jesum spectantes Apostoli phantasma judicant (g); ac tandem Jesus ipse post resurrectionem suam sese offerens Apostolis, Videte, ait, & palpete, quia spiritus carnis & ossa non habet. Persuasum habebant Rabbini, nunquam assignatas sibi sedes obtinere animas posse, sive in Paradiso sive apud Inferos, nisi prius sepultura corpus mandaretur; quin & ad conditum in terra corpus invisendum ventitare illas frequenter, quid cum illo fieret, certiores se facturas (h), tenent autem, duodecim primorum à morte mensium spatio factum esse, ut Pythonissa animam illam Samuelis, quæ rediit ad corpus, revocaret; frustrâ enim eâ temporis periodo elapsâ, Samuele jam in Paradisum recepto, mulier illa laborasset. Ad Necromantiam quod atinet, cavet Moyses Levit. 19. 31. & 20. 6. 27. ne interrogentur illi, qui mortuos consulunt; quod capitale esse, tam interrogantibus, quam ariolis illis, decernit. In his omnibus locus usque est voce Ob seu Oboth, quæ pariter recurrit 1. Reg. 28. 3. ad designandam Pythonissam, quam Saul consulit, quæque ejus Regis precibus Samuelis animam revocavit. Cautum est pariter in Deuteronomio 18. 11. (Vide & Isai. 8. 19.) ne quarant à mortuis veritatem.

Aperta sunt hæc ad demonstrandam Hebræorum persuasionem de animarum post obitum vitæ & immortalitate. Quicumque autem in Synagoga animæ immortalitatem negarent, veluti Saducæi, & qui pariter solvi, & in nihilum abire illas tenebant, uti Maimonides, & Kimchi (i), veluti hæc nota inurebantur, utpote qui contra receptum apud gentem dogma pugnant. Fit inde, ut ex ipsis immortalitatis animæ adversariis argumentum deducatur ad adstruendam communem Judæorum pro eadem ipsa immortalitate sententiam; qua etiam in re valet impiorum hominum illud apud Ecclesiastem 3. 18. 19. 20. Unus interitus est hominis & jumentorum; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius; cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum; & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Quorum cavillationes ita vir sapiens exufflat Eccl. 12. 7. Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Claudis tandem sermonem (k): Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ sunt adducet Deus in judicium pro omni errore, sive bonum sive malum illud sit.

1. Reg. 28. 13. &c.

2. Macch. 15. 14.

Matth. 14. 20. 26.

Bereschit Rabb. c. 22.

Talmud tract. Sanhedrin. 4.

Maimon. & ali quidam, ut D. Kimchi in Psal. 139. & 104. 29.

Ibid. ver. 13.